

283

281

287

277

292

272

332

232

382

182

Ende

Anfang

268

**De loco, in quo Christus resurgens occurrit mulieribus
dicens : Avete.**

Visis jam dictis de monasterio egressi sumus et per
vicum ulterius processimus, et in via ad locum quendam veni-
mus, ubi in publica strata lapis magnus erectus stabat. Qui
ideo ab antiquis Christianis ibi est locatus, quia in illo loco et
in ista via apparuit dominus tribus Mariis a monumento re-
vertentibus, ad quos dixit: Avete. Et illae prostratae tenuen-
runt pedes ejus, ut habetur Matthaei 28. Ibi ergo prostrati
locum vestigiorum Christi deosculati sumus et lapidem,
et indulgentias accepimus (†). Quondam stetit ibi ecclesia
magna, quam Sarraceni destruxerunt, sicut et alias ecclesias.
Iuxta hunc lapidem est via publica de monte Syon (104A)
ad sepulchrum Domini, ita quod singulis diebus peregrini hunc
locum pertransibant, ego quandoque una die 6. vicibus ibi
pertransivi. Est autem peregrinorum omnium consuetudo,
quod quotiens aliquem locum sanctum pertranseunt, etiam
extra actualem intentionem visitandi loca sancta, totiens locum
deosculantur et vadunt. Sic ergo, quotiens lapidem praedictum
pertransivimus, totiens eum deosculabamur, quod Sarraceni
cernentes, qui ex opposito morabantur lapidis in domo, et
devotioni peregrinorum invidentes nocte ipsum lapidem lique-
factis humanis stercoreibus perfuderunt, eum totaliter foedave-
runt, et ita deosculationi abominabilem reddiderunt. Isto tamen
non obstante quidam peregrinus vestimentis suis lapidem tersit
in loci parte deosculacioni apta: et ita locum non minus, imo
in confusionem Sarracenorum amplius venerabamur. Istum
despectum fecerunt nobis Sarraceni in multis locis sanctis in
Jerusalem et alibi.

**Arx David faciens finem montis Syon contra
occidentem.**

Non longe ulterius contra occidentem procedendo venimus
ad cornu montis Syon, ad finem ejus in parte occidentali, et
ibi est arx David. Et hodie stat ibi fortissimum castrum et

